1006.

Stanislaus Augustus Dei Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniae, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ et Czernichoviae.

14

Significamus præsentibus Literis Nostris quorum intereſt universis et Singulis. Reperiri in Actis Metrices Regni Ceſsionem Capitaneatus Siradiensis infrascriptam = Augustus Tertius &c. Significamus &c. Quod coram Actis Metrices Regni Cancellariæ Nostræ Minoris Comparens personaliter Generosus Rochus de Głogowa Koſsowski Capitaneus Siradiensis, sanus mente et Corpore existens, recedendo â Foro, Terris et Jurisdictionibus Suis quibusvis propriis, huic autem Jurisdictioni Nostræ Regiæ quò ad infra scripta recognoscenda attinet, se subjiciendo et incorporando, palam, liberè ac benevolè recognovit, et præsentibus recognoscit. Quia Ipse inhærendo Literis Consensus Nostri Regii de data illius hic Varsaviæ Die Quinta Mensis Junii Anno nunc currenti, Sibi Recognoscenti ad cedendum de Capitaneatu Siradiensi per Nos benignè concessis, manu Nostrâ Regiâ Subscriptis et Sigillo Regni Majori communitis, ad præsens in Suo Originali illæso exhibitis tenoris sequentis = Augustus Tertius Dei Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiae, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czernichoviaq; necnon Hæreditarius Dux Saxoniæ et Princeps Elector. Significamus præsentibus Literis Nostris quorum intereſt universis et Singulis. Consensiſse Nos et permisiſse, consentireq; et permittere præsentibus Literis Nostris Generoso Rocho de Głogowa Koſsowski Capitaneo Nostro Siradiensi, ut poſsit, et valeat de omni et integro Jure suo Advitalitio, quod ipsi Super Capitaneatum Nostrum Siradiensem Jurisdictionalem in Palatinatu Siradiensi Situm servit et Competit, cedere, illudq; in personam Gnosi Stanislai de Głogowa Koſsowski Fratris sui germani transferre et plenariè transfundere. Quæ quidem Ceſsio, Jurisq; transfusio, posteaquam corâ Actis quibuscunque Authenticis Regni facta et recognita fuerit, Nos eam ratam et gratam habituri Sumus uti eam, quæ prævio hocce Consensu Nostro Regio peragetur. Vigore cujus Ceſsionis, præsentisq; Consensus

Nostri

Dupl.

67/1010/2k

20.-

Nostri praenominatus Gnosus Stanislaus Kossowski praefatum Capitaneatum Nostrum Siradiensem cum Jurisdictione, Villis eo spectantibus, Curiis, aedificiis, structuris, campis, agris, conseminationibus, hortis, pratis, pascuis, sylvis, nemoribus, stagnis, piscinis, fluviis, fluminibus, molendinis, braxatoriis, Subditis, eorumq laboribus, Censibus, dationibus, usibus fructibus, commodis et emolumentis, aliisq attinentiis et pertinentiis, antiquitus et recenter ad eum Spectantibus generaliter omnibus, nullis penitus exceptis et reservatis, tenebit, habebit, et possidebit ad extrema vitae suae tempora. Promittimus autem pro Nobis, et Serenissimis Successoribus Nostris, non esse Nos Serenissimosq Successores Nostros memoratum Gnosum Stanislaum Kossowski Capitaneum Nostrum Siradiensem ab usu, et pacifica supradicti Capitaneatus possessione amoturos aut alienaturos, neq amovendi aut alienandi potestatem cuipiam daturos, sed Salvum et integrum Jus Advitalitium Eidem conservaturos. Quod et Serenissimi Successores Nostri praestabunt. Ratione cujus Advitalitatis solitam Proventuum quartam partem juxta praescriptum Legum ad Thesaurum Regni quotannis inferre tenebitur. Juribus Nostris Regalibus, Reipublicae, Ecclesiaeq Romano Catholicae Salvis manentibus. In quorum Fidem praesentes Manu Nostra Subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Varsaviae Die V. Mensis Junii Anno Domini MDCCLXII. Regni vero Nostri XXIX. Anno. Consensus Cedendi de Capitaneatu Siradiensi Gnoso Rocho de Glogowa Kossowski in Personam Gnosi Stanislai de Glogowa Kossowski. Augustus Rex. Locus Sigilli Majoris Regni. Joannes Tominski Metrices Regni Praefectus S. R. Mtis Secretarius. Cancellariatu Illrmi et Excellmi Dni Joannis Comitis in Konskie et Bialaczow a Malachowice Malachowski Supremi Regni Cancellarii, Ostrolecen Grodecen etc. Capitanei Sigillatum. — Jam ex nunc et defacto de omni et integro Jure suo Advitalitio, quod, quantum et quale Sibi Recognoscenti ad praefatum Capitaneatum Siradiensem cum Jurisdictione in Palatinatu Siradiensi Situm, vigore Privilegii et Jurium Suorum Servit et Competit, achucusque serviebat et Competebat, in Personam Generosi Stanislai de Glogowa Kossowski Fratris Sui germani cessit, abscessit et condescendit, prout praesentis Cessionariae

narie

naria Inscriptionis virtute tam de præfata Advitalitate, Privilegio, ac juribus Suis, quam de eodem Capitaneatu cum Jurisdictione, Villis, Curiis, ædificiis, structuris, agris, campis, conseminationibus, hortis, pratis, pascuis, sylvis, nemoribus, stagnis, piscinis, fluviis, fluminibus, molendinis, braxatoriis, Subditis, eorumque laboribus, Censibus, dationibus, usibusfructibus, commodis et emolumentis, aliisque attinentiis et pertinentiis antiquitus et recenter ad eundem Capitaneatum spectantibus generaliter universis, nullis penitus exceptis, nec pro se, aut pro quopiam alio reservatis, cedit, condescendit, et plenarie ad tenendum, habendum, fruendum et possidendum resignat, omneque Jus Suum Advitalitium, possessionem ac usumfructum in prædictum Gnosum Stanislaum Hossowski transfert, transfundit et incorporat. Intromissionemque Jpsi realem et actualem cum pacifica possessione per Ministerialem quemvis generalem, et Nobiles duos quosvis facilius conducendos in prædictum Capitaneatum Officiose acceptandam, dat, concedit, et libere admittit, eandemque nec per se, nec per quasvis Submissas et Subordinatas personas præpediturum, aut impugnaturum, imo libere admissurum se inscribit et obligat. Hac Suâ personali Recognitione ad præmissa mediante. Alias in forma Inscriptionis Cessionariæ de jure plenissima et perfectissima. Pro majori vero firmitate manu propriâ Se Subscripsit. Rochus de Głogowa Hossowski m.p. Quam ejusmodi Inscriptionem Cessionariam sic ut præmissum factam et recognitam Nos firmam, ac de jure validam haberi volentes eandem ad Acta præsentia Suscipi, inscribi, et ex iisdem fideliter descriptam Parti postulanti Authentice extradi permisimus. In quorum fidem etc. Actum Varsaviæ Feriâ Quintâ post Festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxima, Die scilicet Trigesima Mensis Decembris Annô ejusdem Millesimo Septingentesimo Sexagesimô Secundo.

Secundo. Regni verò Nostri Anno XXX. Ad Relationem Illmi Excellmi et Rndmi Dni Michaelis Comitis de Granow Wodzicki Episcopi Premisliensis Abbatis Commendatarii Cervenes et Stara Lumbæ, Procancellarii Regni. Quam ejusmodi Cessionem prout in dictis Actis Metricis Regni continetur, Nos ex iisdem fideliter descriptam Parti postulanti authenticè extradi permisimus. In quorum fidem præsentibus Sigillum Regni est appressum. Datum Varsaviæ Feria Quinta pridie Festi Inventionis Sanctæ Crucis Die scilicet Secundâ Mensis Maii Anno Domini Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Quinto. Regni verò Nostri Primô Annô.

Andr. Stan. Młodziejowski
Pr. Cancellarius Regni

Relatio Illmi et Rndmi Dni Andreæ Stanislai Młodziejowski Cancellarii Metropolitani Gnesnen. Procancellarii Regni.

Nº 15.
Sz. K.
Tas. 39

Z ZBIORÓW WIL. HR. KRASIŃSKICH

Joannes [illegible]
M.R. [illegible] Metr.
Secretarius

Producta in Thesauro Regni et Actis Quartæ ingrossata.
Varsaviæ die 7. Mensis Maij. Anno Domini 1765.
B. Jaworski Regens Cancell. Quartæ
et Hybernorum Thesauri Regni

Dypl. 71

Cedit de Capitaneatu Siradiensi Gnosus Rochus de Głogowa Kossowski in Personam Gnosi Stanislai de Głogowa Kossowski Fratris sui.